

ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae. Hoc tibi
juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum
praelium timueris: uni tibi, et cum singulis res erit.»

II. ORATIO VETURIAE AD FILIUM CORIOLANUM.

L. II, cap. XI.

Ad bellum incitati Volsci, communi consensu ac voluntate imperium ad Coriolanum atque Attium deferunt. Jam cum copiis Romam contendunt, toto itinere oppida in deditioinem et potestatem accipientes. Romani, posteaquam id nunciatum fuit, de pace Oratores mittunt, qui quum re infecta redirent, jamque prope esset, ut agris vastatis Romam obsiderent, matronae, seu privato, seu publico consilio pervenient, ut et Veturia mater Coriolani, Volumniaque uxor cum duobus parvis liberis in castra hostium irent. Quod ubi Coriolano fuit nunciatum, principio negligebat: propere deinde ut amens quum matri complexum ferret. Veturia his verbis ejus animos fregit.

«Sine prius, quam complexum accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim: captiva, materne in castris tuis sim? In hoc me longa vita et infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingredienti fines, ira cecidit? Non, quum in conspectu Roma fuit, succurrit, intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego nisi peperisse, Roma non oppugnaretur: nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem? Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, quam mihi miserius possum; nec, ut sim miserrima, diu futura sum. De his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet.»